B. C. D.

SPECIMINIS MATERIÆ MEDICÆ

CAPUT I.

De *Materiâ Medicâ in genere.*

§. 1.

COmmuniter Medici in ſuis Inſtitutionibus Medicinam in quinque partes dividere ſolent, earum poſtremam *Therapeutices* nomine inſignientes, eo quòd ad Medicinæ ſcopum quàm proximè collimet, amiſſamque Machinæ humanæ integritatem ad priſtinum ſtatum reducere doceat. Iſtius verò *Therapeutices* duas iterum partes faciunt, quarum *prior* quidem *Methodus medendi* vocata per certas indicationes media ad recuperandam ſanitatem invenire docet: *poſterior* autem, *Materiæ medicæ* titulo veniens, Sylvam auxiliorum exponit, è quâ ceu ex divite penu omnivaria ſeligi poſſunt Remedia, ad impetrandum Medentis ſcopum proficua, imò neceſſaria. Hæc verò Auxilia ſub triplici *Fonte* comprehenduntur, *Pharmaceutico* nimirum, *Chirurgico* & *Diætetico*, quorum primus, *Pharmacia*, non ſolùm docet Remedia *ſimplicia* horumque naturam, facultates & agendi modum probè cognoſcere & explicare, ſed & efficaciora eorundem, atque præſtantiora in uſum communem ſeligere, decen-

Therapeutice pars poſtrema Medicinæ.

Materia Medica.

ter, quantum opus videbitur, præparare, dextreque invicem commiscere & componere.

Dubii solutio.

§. 2. Enimverò hic opponi posset, si cognitio virium Remediorum in Pharmaciâ requiratur, Pharmacopœos omnes eâdem notitiâ imbutos esse debere, quod tamen neque communiter observatur, neque etiam necessarium esse videtur. Sed facile ad hoc respondere licet, *Pharmacopœos* scilicet non esse nisi *Medicorum Ministros*, atque hinc ab ipsis non desiderari plus, quàm quidem probum simplicium Remediorum selectum, eorundem præparationem diligentem, ac denique compositorum debitam & fidelem elaborationem; in *Medicis* verò, ad Ægros quotidie accedentibus, ulterius requiri exactam cognitionem facultatis Remediorum, non secus ac modi & rationis præparationum atque compositionum, quò sic Pharmacopœis scitè indicare & præcipere queant, quid agendum vel linquendum habeant.

Materiæ Medicæ descriptio.

§. 3. *Materia* itaque *Medica*, Græcis ὕλη ἰατρικὴ, *Sylva medica* dicta, nihil aliud est, quàm Doctrina Medicamentorum omnium tam simplicium quàm compositorum, quæcunque humano Corpori ad sanitatem vel conservandam vel restituendam adhibentur. Hanc doctrinam præter Wedelium celeberrimum in *Amœnitat. Mat. Medic.* alii subinde Medici fideliter explicatam dederunt, in quibus eminent Johannes Schrœderus in suâ *Pharmacopœâ Medico-Chymicâ*, Michaël Ettmüllerus in suis Operibus, Christianus Marggrafius in *Materiâ Medicâ contractâ*, Fridericus Deckers in *Exercitationibus practicis*, Josephus Quercetanus in *Pharmaceuticis* scriptis, Paulus Hermannus in *Cynosurâ Materiæ medic.* Joh. Casparus Mangold in suâ *Materiæ medicæ Ideâ*, Hermannus Bœrhave in *Institutionibus Medic.*

Medic. & peculiari *Tractatu de Materiâ medic.* Joh. Jacobus à Brunn in *Systemate Materiæ Med.* aliique plures.

§. 4. *Objectum* Materiæ medicæ est *Medicamentum* sive *Remedium*, Res illa naturalis, quæ vel in corpus humanum assumta, vel extus adhibita, in partibus sive fluidis sive solidis, vel utrisque aliquid immutat aut alterat, ut pristinus atque naturalis sanitatis amissæ status restituatur. *Medicamentum* hoc in medendi Methodo aliàs etiam venire solet sub nomine *Auxilii* vel *Indicati*, quod nimirum ab *Indicante* aliquo in læsâ humani corporis machinâ adhibendum & usurpandum indicare soleat. Vocabulum etiam Φάρμακον, *Pharmacum* subinde apud Veteres Græcos occurrit, *Remedium* significans, quamvis eadem vox promiscuè quoque ad denotandum *Venenum* usurpari consueverit.

Objectum.

Auxilium vel Indicatum.

Pharmacum.

§. 5. In Medicamentis autem considerandæ veniunt *Causæ*, à quibus, ut talia sint, fiunt vel producuntur, tum *internæ* illæ, tum *externæ*, variaque præterea *Accidentia*. *Internæ* causæ sunt *Materia* atque *Forma*; *externæ* verò dicuntur *Efficiens* ac *Finis*; *Accidentia* tandem nuncupamus varias circumstantias, circa Remediorum elaborationem ac usum notandas, prout sunt v.gr. *locus*, *tempus*, *ætas*, *sexus*, *quantitas* sive *dosis*, atque *modus utendi* &c.

Causa Remediorum

§. 6. *Materiam* Remediorum *in genere* consideratam efficiunt *Elementa* aut *principia*, è quibus eadem componuntur. Hujusmodi *principia* sive *elementa* philosophicè considerando admittimus primò quidem *Materiam* atque *Motum*, quæ ab omnibus Philosophis promiscuè pro primis corporum principiis habentur; dein *Materiam primi*, *secundi*, atque *tertii Elementi* Cartesianam, à Cartesio ejusque Sectatoribus pro verioribus Elementis admissam

Medicaminum Elementa s. Principia.

admissam atque demonstratam; vel si mavis, *Corpuscula* hujus Mundi indivisibilia minima, sive Moleculas indefinitæ parvitatis, omnis generis figurâ præditas &c. à Petro Gassendo descriptas.

Principia insensibilia.

§. 7. Ista Elementa Cartesiana vel Gassendistica insensibilia dici possunt, particulis nimirum insensibilibus constantia: nos verò ad meliorem rerum explicationem, è *Chymiâ*, simul heic admittimus principia *magis sensibilia*, qualia nimirum Chymici præcedentium seculorum post Aureol. Theophrast. Paracelsum, Basilium Valentinum & alios, communiter statuerunt tria, videlicet *Sal*, *Sulphur* & *Mercurium*, quibus dein posteriores addidere *Aquam* & *Terram*. Ex his enim omnia in Mundo sublunari existentia corpora, composita mixtaque esse crediderunt. Præsenti autem seculo, quo studia omnia ad majus longè fastigium indefessâ Eruditorum operâ fuerunt evecta, subinde occurrerunt, qui nova alia principia obtrudere ausi sunt: ita enim Johannes Baptista Helmontius *Aquam* solam; Otto Tackenius, Chymista Venetus *Aquam* & *Ignem*, Bernhardus Swalve cum pluribus aliis *Acidum* & *Alcali*: imò nonnulli adhuc physicis Aristotelis principiis ab ineunte imbuti, omnia secundum *quatuor* antiquissimi istius Philosophi *Elementa*, indeque resultantes *qualitates*, reales creditas, tam *primas*, quàm *secundas*, atque *tertias* & *occultas* explicare laborârunt. Quidam etiam, ne injuriam viderentur intulisse sacræ Antiquorum Philosophiæ, aut modernorum Virorum celeberrimorum placitis, in eo frequenter imò toti laboraverunt, ut dissentientium opiniones felici operâ conciliarent, sicque antiqua novis, mala bonis, obscura perspicuis, inutilia utilibus, non necessaria necessariis fideliter permiscerent. Hac verò ratione

Elementa sensibilia.

ne

ne ſcribendi docendive non tam ſuam qualemcunque eruditionem inſigniter oſtentare atque extollere, quàm diſcentium captui maximas difficultates parere ſategerunt.

§. 8. Itaque pro *Elementis* admittimus *ſenſibilibus Sal acidum, Sal alcali, Sulphur ſ. pingue, Aquam, Terram* & *Aërem*, è quibus non ſolùm omnia Remedia componi, ſed & vires eorundem reſultare probabile eſt. Hoc tamen adhuc addimus, quòd in Doctrinâ de Metallis *Mercurium* ſimul admittere debeamus, non quidem tanquam Elementum peculiare, ſed tanquam nomen omnibus Chymicis commune, quo *Phlegma* ſive *Aquam metallarem* indigitare conſueverunt. Quid verò hæc ſint noſtra Elementa, cujusque naturæ, prolixius in Inſtitutionibus Medicis, earumque *Phyſiologiâ*, Ettmüllerus aliique expoſuerunt. *Elementa ſenſibilia ſex.*

§. 9. *Forma*, ceu altera *cauſa interna* Remediorum, conſiſtit in variâ magnitudine, numero, figurâ, ſitu, miſcelâ, atque motu vel quiete particularum elementarium, illa componentium. Hæ verò particulæ diverſimodè ad conſtitutionem mixti inter ſe concurrentes, & vel prorſus quieſcentes, vel nunc vehementiore, nunc placidiore ac mitiore impetu aut gradu inter ſe agitatæ, authores exiſtunt omnium illarum virtutum & qualitatum, quæ partim à Veterum, partim à Neotericorum erudito choro Medicaminibus fuerunt adſcriptæ. Itaque hinc facilè innoteſcit, quàm ineptè Veteres de Remediorum agendi principiis philoſophati fuerint, dum reales qualitates ſtatuerunt, easque pro talibus principiis obtruſerunt, obſcurè admodum explicatas & dilucidatas. Cùm verò diverſi generis particulæ, variâ prorſus ratione in mixto concurrentes, cauſæ exiſtant diverſorum effectuum; *Forma Remed.*

consuetam quidem Remediorum divisionem retinebimus, sed aliâ prorsus ratione exponemus.

Causæ efficiens prima, secunda.

§. 10. *Causa efficiens* Medicamentorum, sive existentiam spectemus sive agendi modum, *suprema* aut *prima* solus est Deus Omnipotens Ter Opt. Max. Causa verò *secunda* est *Motus*, quem Deus creatis à se corporibus indidit, cujusque efficaciâ & actione Elementa infinitis modis inter se concurrentia, tot Remediorum, inprimis *simplicium*, species produxerunt. Quod verò attinet Remedia *composita* & *mixta*, Homines in Arte medendi periti Authores & Causæ efficientes eorum meritò dicuntur.

Finis Remediorum

§. 11. *Finis* denique Remediorum non est nisi sanitas humana, cujus sive conservandæ, sive recuperandæ gratiâ illa fuerunt inventa, excogitata, & in usum indies majorem protracta.

Climatum varietas,

§. 12. E numero *circumstantiarum* occurrit primò *Clima* cujuscunque Regionis, sive Aeris temperies, cujus intuitu circumspecto incumbit Medico, selectum habere Remediorum, qualia nimirum cuicunque Regioni convenientiora existunt. Ita enim in Regionibus calidioribus *nitrosa* refrigerantia, in Regionibus autem frigidioribus *sulphureo-spirituosa*, in locis tandem sub Zonâ temperatâ *temperata* magis Remedia, in plerisque morbis præferenda sunt. Quandoquidem præsupponendum, humores Corporum humanorum pro diversitate Climatum summoperè variare, tam quoad crasin sive mixturam, quàm quoad motum intestinum particularum.

variat Remediorum usum.

Ætatis ratio habenda.

13. §. Sed *Ætatis* quoque ratio est insigniter habenda, ut Senibus *spirituosiora sulphurea*, Viris & Adultis *temperatoria*, Infantibus *blandiora* mixta præscribere studeamus.

§. 14. Si

§. 14. Si *sexum* consideremus hominum, operam quoque dabit Medicus practicus, ne Fœminis ea consulat ac præscribat, quæ Passiones in ipsis hystericas, plus minus convulsivas producere possent. *Variatio remediorum quoad sexum.*

§. 15. Tandem ad *accidentia* remediorum *Qualitates* referendæ sunt, quæ prout à vario concursu principiorum in Remediis oriuntur, ita quoque diversissimæ existunt. *Qualitates* autem in Remediis consideramus, vel quatenus spectantur *absolutè* & *in se*, sine respectu ad corpus humanum, vel quatenus considerantur *respectivè*, respectu nimirum Machinæ corporis humani, in quâ effectus suos edere debent: Remedia intuitu qualitatum *in se* & *absolutè* consideratarum sunt *actu* ipso vel *calida* aut *frigida*, vel *sicca* aut *humida*, vel *acria* aut *mitia*, vel *dulcia*, *amara*, *insipida*, *acida*, *austera*, &c. *Qualitates Remediorum* *absolutæ*,

§. 16. Medicamenta verò intuitu qualitatum *respectivè* ad Corpus nostrum spectata, dicuntur diversâ facultate, virtute aut effectu pollere, hacque ratione communiter dividuntur in *evacuantia*, *alterantia* & *roborantia*. *respectivæ*,

§. 17. *Evacuans* remedium illud appellatur, quod intra corpus nostrum assumtum humores exagitat, eosque ad fermentationem aliquam suscitando, quarundam particularum separationem & evacuationem producit. Evacuans tale iterum varium est, & quidem nunc *leniens*, quod placidè per alvum educit, quicquid in Intestinis & Ventriculo, hoc est, in primis viis hæret; vel est *purgans* sive *catharticum*, quod ulterius ad sanguinem penetrando, per inferiora purgat, quicquid simul heterogenei ibi hæret; vel tandem *emeticum* seu *vomitorium*, quod excitato vomitu per superiora, quicquid in Ventriculo noxium hæret, evacuat. Hisce dein adnumeranda veniunt alia Evacuantia, *Medicamentum evacuans*, *leniens*, *purgans s. catharticum*, *vomitorium*.

quæ per vias alias ſuperfluos & heterogeneos humores eliminant, quemadmodum ſunt *diaphoretica* ac *ſudorifera*, quæ per Glandulas ſubcutaneas; *diuretica*, quæ per glandulas renales; *bechica*, quæ per Pulmones; *errhina* vel *ſternutatoria*, quæ per Narium glandulas; *apophlegmatizantia* & *maſticatoria* ſive *ſalivantia*, quæ per Glandulas oris; tandem *hyſterica*, quæ per Uteri vias evacuant.

Alterantia. §. 18. *Alterantia* dicuntur ea Remedia, quæ ſine evacuatione, certâ ſaltem, qualitates humorum heterogeneas corrigunt, v. g. acria edulcorant, acida temperant, æſtum reſtinguunt, nimium frigus emendant, & ſic conſequenter. *Corroborantia* appellamus, quæ particularum activarum virtute, maſſæ ſanguineæ Spiritus vitales, hinc & animales non ſolùm augent, ſed etiam ad motus ſuos meliùs præſtandos ſuſcitant, ſicque vires languentes refocillant.

Roborantia.

Remedium §. 18. Hinc Remediorum diviſionibus addere conſueverunt diſtinctionem in *ſimplicia* & *compoſita*, in *cruda* & *præparata*, *interna* & *externa*: *Simplex* remedium eſt unum aliquod numero medicamentum, quod ſive crudum ſive præparatum ex triplici illo Regno, vegetabili, animali, & minerali deſumitur. *Compoſitum* dicimus, quod ex pluribus ſimplicibus undecunque deſumtis, Arte ſive pharmaceuticâ, ſive chymica, & ad ſcopum in medendo varium concinnatum eſt; ſic *Syrupi* omnes *compoſiti*, v. gr. *Syrupus Roſarum ſolutivus compoſitus*, *aperitivus Mindereri*, &c. ſic *Confectiones* omnes, *Maſſæ pilularum*, &c. dicuntur Remedia *compoſita*.

ſimplex,

compoſitum.

Crudum. §. 20. Medicamentum *crudum* illud eſt, quod ita ſtatim in uſum trahitur, prout illud Natura exhibet, ſine ullâ præviâ præparatione, ita *Sal gemmæ*,

gemmæ, *Mercurius vivus*, ita *Gemmæ sambuci* &c. cruda subinde assumuntur.

§. 21. *Præparata* remedia dicuntur ea, quæ antequam in usum vocentur, prævium Artificis laborem sustinent: Præparatio autem medicamentorum varia est, prout id in Pharmaceuticis docetur; nimirum alia est *pharmaceutica*, alia *chymica*. *Præparatum.*

§. 22. *Internum* medicamentum vocatur, quod in Os assumitur, & in Ventriculum deglutitur: *Externum* verò, quod extus machinæ humanæ applicari solet. *Internum*, *Externum.*

§. 23. Coronidis loco addenda est distinctio illa Remediorum, cujus supra mentio jam fieri debuisset, nimirum in *universalia* & *particularia*. *Universalia* sunt illa, quæ toti corpori suo effectu prospiciunt, illudque vel evacuant vel alterant &c. *Particularia* hic jam dicimus pharmaca, quæ speciatim huic vel illi corporis parti sunt dicata; atque dividi solent in Remedia *Capitis*, *Thoracis*, *Ventris inferioris* & *Artuum*, quorum omnium Tabulæ peculiaribus Capitibus examinabuntur. *Universalia* *particularia.*

CAPUT II.

De Principiis Cognoscendi Facultates Remediorum.

§. 1.

PRincipium cognoscendi virtutem alicujus Remedii appellatur signum vel indicium aliquod undecunque desumtum, cujus ductu vires Remediorum dignoscimus. *Principia cognoscendi facultates Remediorum.*

§. 2. Prout itaque è diversis rebus signa talia desumuntur, ita principia quoque eadem non malè distincta sunt in *universalia* & *particularia*; Quorum *illa* à communibus Medicinæ fundamentis, *Universalia*